

cui quod nominatur agnus, vel leo, vel aliquid huiusmodi.

Sed licet rerum similitudines æquivoce rerum sibi nomina interdum assumant, non tamen competit sacra Scripturæ, ut narrationem unius facti totam sub tali æquivocatione proponat, ita quod ex aliis Scripturæ locis manifesta veritas haberi non possit: quia ex hoc non eruditio hominum, sed magis deceptio sequeretur; cum tamen Apostolus dicat Rom. xv. 4. quod quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: & II. ad Timoth. 11. 16. Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, & erudiendum. Esset præterea tota evangelica narratio poetica, & fabularis, si rerum similitudines apparentes quasi res ipsas narraret; cum tamen dicatur II. Petri 1. 16. Non enim (1) doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem.

Sicubi vero Scriptura (2) narrat quod aliqua apparentiam, & non rerum existentiam habuerunt, ex ipso more narrationis hoc intelligere facit: dicitur enim Genesis xv. 12. Cumque elevarer oculos, Abraham scilicet, apparuerunt tres viri: ex quo datur intelligi, quod secundum apparentiam viri fuerunt: unde & in eis Deum adoravit, & Deitatem confessus est, dicens: Loquar ad Dominum meum, cum sint pulvis & cinis: & iterum: Non est tuum hoc, qui iudicas omnem terram. Quod vero Isaias, & Ezechiel, & alii Prophetæ aliqua alia descriperunt quæ imaginariè visa sunt, error non generatur, quia huiusmodi ponunt non in narratione historiarum, sed in descriptione prophetiarum; & tamen semper aliquid addunt per quod apparitio designatur; sicut Isaias vi. 1. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum. Ezechielis 1. 4. (3) Facta est super me manus Domini, & vidi & ecce ventus turbis veniebat ab aquilone &c. Ezechielis vi. 3. Emisa similitudo manus apprehendit me... & adduxit; & veni in Hierusalem in visione Dei.

Quod etiam aliqua in Scripturis de rebus divinis per similitudinem dicuntur, errorem generare non potest: tum quia similitudines sumuntur à rebus tantum vilibus, ut notum sit hoc quod secundum similitudinem, & non secundum rerum existentiam dicuntur: tum quia inveniuntur aliqua proprie dicta in Scripturis, (4) per quæ sub similitudinibus in locis aliis occultantur. Quod quidem in proposito non accidit. Nam nulla Scripturæ auctoritas veritatem eorum quæ de humanitate Christi leguntur, excludit.

Fortè autem quis dicat, quod hoc datur intelligi per hoc quod Apostolus dicit ad Rom. viii. 3. Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati: vel per hoc quod dicit ad Philip. ii. 7. In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Hic autem sensus per ea quæ hic adduntur, excluditur: non enim dicit solum in similitudinem carnis, sed addit, peccati: quia Christus veram quidem carnem habuit, sed non carnem peccati, quia in eo peccatum non fuit; sed similem carni peccati, quia carnem passibilem habuit, qualis est facta caro hominis ex peccato. Similiter fictionis intellectus excluditur ab hoc quod dicit, in similitudinem hominum factus, per hoc quod dicitur, formam servi accipiens. Manifestum est autem formam pro natura poni, & non pro similitudine, ex hoc quod dixerat: Qui cum in forma Dei esset: ubi pronatura ponitur forma: non enim ponitur quod Christus fuerit similitudinariè Deus. Excluditur etiam fic-

(1) Al. indoctus. (2) Fortè narrat aliqua quæ apparentiam &c. (3) Vulgata: facta est super eum ibi manus Domini, &c. (4) An legendum per quæ expresse manifestantur illa quæ sub similitudinibus &c. ? vel per quæ sub similitudinibus in locis aliis occultata manifestantur.

tionis intellectus per hoc quod subdit: Factus obediens usque ad mortem. Non igitur similitudo accipitur pro similitudine apparentiæ, sed pro vera similitudine speciei, sicut omnes homines similes specie dicuntur.

Magis autem sacra Scriptura expresse phantasmatis suspicionem excludit: dicitur enim Matthæi x. 1. 26. quod videntes discipuli Jesum ambularem supra mare, turbati sunt, dicentes, quia phantasma est: & præ timore clamaverunt. Quam quidem eorum suspicionem Dominus convenienter removet: unde subditur: Statimque Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam, ego sum, nolite timere. Quamvis non rationabile videatur quod aut discipulos lateret quod non nisi corpus phantasticum assumpsisset, cum eos ad hoc elegerit, ut de eo testimonium perhiberent veritatis ex his quæ viderant, & audierant, aut si eos non latebat, æstimatio phantasmatis, non incussisset tunc eis timorem.

Adhuc autem expressius suspicionem phantastici corporis à mentibus discipulorum removet Dominus post resurrectionem: dicitur enim Luc. ult. 37. quod discipuli conturbati, & conterriti, existimabant se spirituum videre, dum scilicet viderunt Jesum: & dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum: palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Frustra enim se palpandum præbuisset, si non nisi corpus phantasticum habuisset.

Item: Apostoli se ipsos idoneos Christi testes ostendunt: dicit Petrus Act. x. 40. Hunc, scilicet Jesum, Deus suscitavit tertia die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo: nobis, qui manducavimus, & bibimus cum illo postquam resurrexit à mortuis: & Joannes Apostolus in principio suæ epistolæ dicit: Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ corripserunt de verbo vitæ; hoc testamur. Non potest autem efficax sumi testimonium veritatis per ea quæ non in rei existentia, sed solum in apparentia sunt gesta. Si igitur corpus Christi fuit phantasticum, & non vere manducavit, & bibit, neque vere visus est, & palpatum est, sed phantastice tantum; invenitur non esse idoneum testimonium Apostolorum de Christo; & sic inanis est eorum prædicatio, inanis est & fides nostra, ut dicit Paulus I. ad Corinth. xv.

3. Amplius autem. Si Christus verum corpus non habuit, non vere mortuus est. Ergo nec vere resurrexit. Sunt igitur Apostoli falsi testes Christi, prædicantes mundo ipsum resurrexisse: unde Apostolus ibidem 15. dicit: Invenimur autem & falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Jesum, quem non suscitavit.

4. Præterea. Falsitas non est idonea via ad veritatem, secundum illud Eccli. xxxiv. 4. A mendace quid verum dicitur? Adventus autem Christi in mundum ad veritatis manifestationem fuit: dicit enim ipse Joannis xviii. 37. Ego autem in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Non igitur in Christo fuit aliqua falsitas. Fuisset autem, si ea quæ dicuntur de ipso, in apparentia tantum fuissent: nam falsum est quod non est, ut videtur. Omnia igitur quæ de Christo dicuntur, secundum rei existentiam fuerunt.

Ad

5. Adhuc. Roman. 111. dicitur, quod justificati sumus in sanguine Christi: & Apocal. v. 9. dicitur: Redemisti nos Domine in sanguine tuo. Si igitur Christus non habuit verum sanguinem, neque vere pro nobis ipsum fudit, neque igitur vere justificati, neque vere redempti sumus. Ad nihil igitur utile est esse in Christo.

6. Item. Si non nisi phantasia intelligendus est adventus Christi in mundum, nihil novum in Christi adventu accidit: nam & in veteri testamento Deus apparuit Moysi, & Prophetis secundum multiplices figuras, ut etiam Scripturæ novi testamenti testatur. Hoc autem totam doctrinam novi testamenti evacuat. Non igitur corpus phantasticum, sed verum filius Dei assumpsit.

CAPUT XXX.

De errore Valentini circa incarnationem.

HIS autem & Valentinus propinque de mysterio incarnationis sensit: dixit enim, quod Christus non terrenum corpus habuit, sed de cælo apportavit; & quod nihil de Virgine matre accepit, sed per eam quasi per aqueductum transivit.

Occasionem autem sui erroris ex quibusdam verbis sacra Scripturæ accepisse videtur. Dicitur enim Joan. 111. 13. Nemo ascendit in cælum nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo... Qui de cælo venit, super omnes est: & Joann. vi. 38. dicit Dominus: Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me: & I. ad Cor. xv. 47. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo celestis. Quæ omnia sic intelligi volunt, ut Christus de cælo etiam secundum corpus descendisse credatur.

Procedit autem tam hæc Valentini positio, quam Manichæorum præmissa, ex una falsa radice, quia credebant, quod hæc omnia terrena à diabolo sint creata. Unde cum filius Dei in hoc apparerit, ut dissolvat opera diaboli, sicut dicitur I. Joan. 111. non ei competebar ut de creatura diaboli corpus assumeret; cum etiam Paulus dicat II. ad Corinth. vi. 14. Quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? Et quia quæ ab eadem radice procedunt, similes fructus producant, in idem falsitatis inconveniens relabitur hæc positio cum prædicta.

1. Uniuscujusque enim speciei sunt determinata essentialia principia, materiam dico, & formam, ex quibus constituitur ratio speciei in his quæ sunt ex materia, & forma composita. Sed sicut caro humana, & os, & huiusmodi, sunt materia propria hominis, ita ignis, aer, aqua, & terra, & huiusmodi, quæ sentimus, sunt materia carnis, & ossis, & huiusmodi partium. Si igitur corpus Christi non fuit terrenum, nec in ipso fuit vera caro, & verum os, sed omnia secundum apparentiam tantum; & ita etiam non fuit verus homo, sed apparens; cum tamen, ut dictum est, ipse dicat: Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.

2. Adhuc. Corpus celeste secundum suam naturam est incorruptibile, & inalterabile, & extra suum ubi non potest transferri. Non autem decuit quod Dei filius dignitati naturæ assumptione aliquid detraheret, sed magis quod eam exaltaret. Non igitur corpus celeste, aut incorruptibile ad inferiora portavit, sed magis assumptum terrenum corpus, & passibile, incor-

(1) Lucarinus legendum censet factum, ut habet Vulgata.

ruptibile reddidit, & celeste.

3. Item. Apostolus dicit ad Roman. i. 3. de filio Dei, quod factus est ex semine David secundum carnem. Sed corpus David terrenum fuit. Ergo & corpus Christi.

4. Amplius. Idem Apostolus dicit ad Galat. iv. 4. quod Deus misit filium suum (1) natum ex muliere: & Matth. i. 16. dicitur, quod Jacob genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. Non autem vel ex ea factus, vel ex ea natus diceretur, si solum per eam sicut per fistulam transisset, nihil ex ea assumens. Ex ea igitur corpus assumpsit.

5. Præterea. Non posset dici mater Jesu Maria, quod Evangelista testatur Matth. i. nisi ex ea aliquid accepisset.

6. Adhuc. Apostolus dicit ad Hebr. 11. 11. Qui sanctificat, scilicet Christus, & qui sanctificantur, scilicet fideles Christi, ex uno omnes: propter quam causam non confunditur eos vocare fratres, dicens Psal. xxi. 23. Narrabo nomen tuum fratribus meis: & infra: Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem. Si autem Christus corpus celeste solum habuit, manifestum est, cum nos corpus terrenum habeamus, quod non sumus ex uno cum ipso, & per consequens neque fratres ejus possumus dici, neque etiam ipse participavit carni & sanguini. Nam notum est quod caro & sanguis ex elementis inferioribus componuntur, & non sunt naturæ celestis. Patet igitur contra apostolicam sententiam prædictam positionem esse.

Ea vero quibus innituntur, manifestum est frivola esse. Non enim Christus descendit de cælo secundum corpus, aut animam, sed secundum quod Deus; & hoc ex ipsis verbis Domini accipi potest: cum enim diceret Joan. 111. 13. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo; adiunxit: filius hominis qui est in cælo: in quo ostendit se ita descendisse de cælo, quod tamen in cælo esse non desierit. Hoc autem proprium Deitatis est, ut ita in terris sit quod & cælum impleat, secundum illud Hierem. xxxiii. 24. Cælum, & terram ego impleo. Non ergo filio Dei, in quantum Deus est, descendere de cælo competit secundum motum localem: nam quod localiter movetur, sic ad unum locum accedit quod ab altero recedit. Dicitur igitur filius Dei descendisse secundum hoc quod terrenam substantiam sibi copulavit, sicut & Apostolus eum exinanitum dicit, in quantum formam servi accepit, ita tamen quod Divinitatis naturam non perdidit.

Id vero quod pro radice hujus positionis assumunt, ex superioribus patet esse falsum: ostensum est enim in secundo Libro cap. vi. & xv. quod ista corporalia non à diabolo, sed à Deo sunt facta.

CAPUT XXXI.

De errore Apollinaris circa corpus Christi.

IRrationabilis autem his circa incarnationis mysterium Apollinaris erravit, in hoc tamen prædictis concordans, quod corpus Christi non fuit de Virgine assumptum; sed, quod est magis impium, aliquid verbi dicit in carnem Christi fuisse conversum, occasionem erroris sumens ex eo quod dicitur Joannis i. 14. Verbum caro factum est: quod sic intelligendum putavit quasi ipsum verbum sit conversum in carnem, sicut & intelligitur illud quod legitur Joannis 11. 9. Ut gustat-

tauit Architeclinus aquam vinum factam : quod ea ratione dicitur, quia conversa est aqua in vinum.

1. Hujus autem erroris impossibilitatem ex his quae supra I. Lib. cap. xlii. & xlix. sunt ostensa, facile est deprehendere. Ostensum est enim supra, quod Deus omnino immutabilis est. Omne autem quod in aliud convertitur, manifestum est in illud mutari. Cum igitur Verbum Dei sit verus Deus, ut ostensum est, impossibile est quod verbum Dei fuerit in carnem mutatum.

2. Item. Verbum Dei, cum sit Deus, simplex est : ostensum est enim supra Lib. I. cap. xxviii. in Deo compositionem non esse. Si igitur aliquid verbi Dei est conservum in carnem, oportet totum verbum conversum esse. Quod autem in aliud convertitur, desinit esse id quod prius fuit: aqua enim conversa in vinum, jam non est aqua, sed vinum. Igitur post incarnationem secundum positionem praedictam verbum Dei penitus non erit: quod apparet impossibile, tum ex hoc quod verbum Dei est aeternum, secundum illud Joann. i. In principio erat verbum: tum quia post incarnationem Christus verbum dicitur, secundum illud Apoc. xix. 13. Vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocabatur nomen ejus Verbum Dei.

3. Amplius. Eorum quae non communicant in materia, & in genere uno, impossibile est fieri conversionem in invicem: non enim ex linea fit albedo, quia sunt diversorum generum: neque corpus elementare potest converti in aliquod corporum caelestium, vel in aliquam incorpoream substantiam; aut e converso, cum non convenient in materia. Verbum autem Dei, cum sit Deus, non convenit neque in genere, neque in materia cum quocumque alio, eo quod Deus in genere non est, neque materiam habet. Ipossibile est igitur verbum Dei fuisse in carnem conversum, vel in quocumque aliud.

4. Praeterea. De ratione carnis, ossis, & sanguinis, & hujusmodi partium est quod sit ex determinata materia. Si igitur verbum Dei sit in carnem conversum secundum positionem praedictam, sequetur quod in Christo non fuerit vera caro, nec aliquid aliud hujusmodi; & sic etiam non erit verus homo, sed apparens tantum, & alia hujusmodi; quae ossa non contra Valentinum posuimus.

Pater igitur hoc quod Joannes dicit; Verbum caro factum est, non sic intelligendum esse quasi verbum sit conversum in carnem, sed quia carnem assumpsit; ut cum hominibus conversaretur, & eis visibilis appareret: unde & subditur: Et habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus &c. sicut & in Baruch. cap. 111. 38. de Deo dicitur, quod in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.

C A P U T XXXII.

De errore Arii, & Apollinaris circa animam Christi.

NON solum autem circa corpus Christi, sed etiam circa ejus animam aliqui male sensisse inveniuntur.

Posuit enim Arius, quod in Christo non fuit anima, sed quod solum carnem assumpsit, cui Divinitas loco animae fuit: & ad hoc ponendum necessitate quadam videtur fuisse inductus. Cum enim veller assetere, quod filius Dei sit creatura, & minor patre, ad hoc probandum illa Scripturarum assumpsit testimonia quae infirmitatem humanam ostendunt in Christo: & ne aliquis ejus probationem refelleret, dicendo, assumpta ab eo testimonia, Christo non

secundum divinam naturam, sed humanam convenire, nequiter animam removit a Christo, ut cum quaedam corpori humano convenire non possint, sicut quod miratus est, quod timuit, quod oraverit, necessarium fiat hujusmodi in filium Dei minorationem inferre. Assumpsit autem in suae positionis assertionem praemissum verbum Joannis dicentis: Verbum caro factum est: ex quo accipere volebat, quod solam carnem verbum assumpserit, non autem animam. In hac positione etiam Apollinaris eum secutus est.

1. Manifestum est autem ex praemissis hanc positionem impossibilem esse. Ostensum est enim supra Lib. I. cap. xxviii. quod Deus forma corporis esse non potest. Cum igitur verbum Dei sit Deus, ut ostensum est cap. lxi. & xlv. impossibile est quod verbum Dei sit forma corporis, ut sic carni pro anima esse possit. Utilis autem est haec ratio contra Apollinaris, qui verbum Dei verum Deum esse confitebatur: & licet hoc Arius negaret, tamen etiam contra eum praedicta procedit ratio. Quia non solum Deus non potest esse forma corporis, sed nec etiam aliquis supercaelestium spirituum, inter quos supremum filium Dei Arius ponebat; nisi forte secundum positionem Origenis, qui posuit animas humanas ejusdem speciei & naturae cum supercaelestibus spiritibus esse: cujus opinionis falsitatem supra Lib. II. cap. xc. ostendimus.

2. Item. Subtrahito eo quod est de ratione hominis, verus homo esse non potest. Manifestum est autem animam principaliter de ratione hominis esse, cum sit ejus forma. Si igitur Christus animam non habuit, verus homo non fuit; cum tamen eum hominem Apostolus asserat, dicens I. Timoth. 11. 5. Unus est mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.

3. Adhuc. Ex anima non solum ratio hominis, sed & singularum partium ejus dependet: unde remota anima oculus, caro, & os hominis mortui aequivoce dicuntur, sicut oculus pictus, aut lapideus. Si igitur in Christo non fuit anima, necesse est quod nec vera caro in eo fuerit, nec aliqua alia partium hominis; cum tamen hoc Dominus in se esse perhibeat dicens, Lucae ult. 39. Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.

4. Amplius. Quod generatur ex aliquo vivente, filius ejus dici non potest, nisi in eadem specie procedat: non enim vermibus dicitur filius animalis ex quo generatur. Sed si Christus animam non haberet, non esset ejusdem speciei cum aliis hominibus: quae enim secundum formam differunt, ejusdem speciei esse non possunt. Non igitur dici poterit, quod Christus sit filius Mariae Virginis, aut quod illa sit mater ejus; quod tamen in evangelica Scriptura asseritur.

5. Praeterea. In Evangelio expresse dicitur, quod Christus animam habuit, sicut est illud Matth. xxvi. 38. Tristes est anima mea usque ad mortem: & Joann. xli. 27. Nunc anima mea turbata est. Et ne forte dicant, ipsum filium Dei animam dici, eo quod secundum eorum positionem loco animae, & carnis sit; sumendum est quod Dominus dicit Joan. x. 18. Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Ex quo intelligitur aliud quam animam esse in Christo, quod habuit potestatem ponendi animam suam, & sumendi. Non fuit autem in potestate corporis quod uniretur filio Dei, vel separaretur a Deo, cum hoc etiam naturae potestatem excedat. Oportet igitur intelligi in Christo aliud fuisse animam, & aliud Divinitatem filii Dei, cui merito talis potestas tribuatur.

6. Item. Tristitia, ira, & hujusmodi passiones sunt

sunt animae sensitivae, ut patet per Philosophum in VII. Physicorum. Haec autem in Christo fuisse, ex Evangelis comprobatur. Oportet igitur in Christo fuisse animam sensitivam, de qua planum est quod differt a natura divina filii Dei.

7. Sed quia potest dici humana in Evangelis metaphorice dici de Christo, sicut de Deo in plerisque locis sacra Scriptura loquitur: accipiendum est aliquid, quod necesse sit, ut proprie dictum intelligatur. Sicut enim alia corporalia, quae de Christo Evangelistae narrant, proprie intelliguntur, & non metaphorice; ita oportet non metaphorice de ipso intelligi quod manducaverit, & per consequens quod esurierit. Esurire autem non est nisi habentis animam sensitivam, cum esuries sit appetitus cibi. Oportet igitur quod Christus habuerit animam sensitivam.

C A P U T XXXIII.

De errore Apollinaris dicentis animam rationalem non fuisse in Christo, & de errore Origenis dicentis animam Christi ante mundum fuisse creatam.

HIS autem testimoniis evangelicis Apollinaris convictus, confessus est in Christo animam sensitivam fuisse, tamen sine mente, & intellectu, ita quod verbum Dei fuerit illi animae loco intellectus, & mentis. Sed nec hoc sufficit ad inconvenientiam praedicta vitanda.

1. Homo enim speciem sortitur humanam ex hoc quod mentem humanam, & rationem habet. Si igitur Christus hoc non habuit, verus homo non fuit, nec ejusdem speciei nobiscum. Anima autem ratione carens ad aliam speciem pertinet quam anima rationem habens: etenim secundum Philosophum in VIII. Metaph. text. com. x. dicitur, quod in definitionibus, & speciebus quaelibet differentia essentialis addita, vel subtracta variat speciem, sicut in numeris unitas. Rationale autem est differentia specifica. Si igitur in Christo fuit anima sensitiva sine ratione, non fuit ejusdem speciei cum anima nostra, quae est rationem habens. Nec ipse igitur Christus fuit ejusdem speciei nobiscum.

2. Adhuc. Inter ipsas animas sensitivas ratione carentes diversitas secundum speciem existit: quod patet ex animalibus irrationalibus, quae ab invicem specie differunt, quorum tamen unumquodque secundum propriam animam speciem habet. Sic igitur anima sensitiva ratione carens est quasi unum genus sub se plures species comprehendens. Nihil autem est in genere quod non sit in aliqua ejus specie. Si igitur anima Christi fuit in genere animae sensitivae ratione carentis, oporteret quod contineretur sub aliqua specie eorum ejus, utpote quod fuerit in specie animae leoninis, vel equi, aut alicujus alterius beluae: quod est omnino absurdum.

3. Amplius. Corpus comparatur ad animam sicut materia ad formam, & sicut instrumentum ad principale agens. Oportet autem materiam proportionatam esse formae, & instrumentum principali agenti. Ergo secundum diversitatem animarum oportet, & corporum diversitatem esse; quod & secundum sensum apparet: nam in diversis animalibus inventiuntur diversae dispositiones membrorum, secundum quod conveniunt diversis dispositionibus animarum. Si ergo in Christo non fuit anima qualis est anima nostra, nec membra habuisset, sicut sunt membra humana.

(1) Al. scientiam.

4. Praeterea. Cum secundum Apollinaris verbum Dei sit verus Deus, ei admiratio competere non potest: nam ea admiramus quorum causam ignoramus. Similiter autem nec admiratio animae sensitivae competeret; cum ad animam sensitivam non pertineat sollicitari de cognitione causarum. In Christo autem admiratio fuit, sicut ex Evangelis probatur: dicitur enim Matth. vii. 10. quod audiens Jesus verba Centurionis, miratus est. Oportet igitur praeter Divinitatem verbi, & animam sensitivam in Christo aliquid ponere secundum quod admiratio ei competere possit, scilicet mentem humanam. Manifestum est igitur ex praedictis quod in Christo verum corpus humanum, & vera anima humana fuit.

Sic igitur quod Joannes dicit, Verbum caro factum est, non sic intelligitur quasi verbum sit in carnem conversum, neque sic quod verbum carnem solam assumpserit, aut animam sensitivam sine mente; sed secundum consuetum Scripturae modum ponitur pars pro toto, ut sic dictum sit, Verbum caro factum est, ac si diceretur, Verbum homo factum est: nam & anima interdum ponitur pro homine in Scriptura: dicitur enim Exod. 1. 5. Erant omnes animae quae egressae sunt de femore Jacob, septuaginta: similiter etiam & caro pro toto homine ponitur: dicitur enim Isaiae xl. 5. Videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est. Sic igitur & hic caro pro toto homine ponitur ad exprimentam humanae naturae infirmitatem, quam verbum assumpsit.

Si autem Christus humanam carnem, & humanam animam habuit, ut ostensum est; manifestum est animam Christi non fuisse ante corporis ejus conceptionem. Ostensum est enim Lib. II. cap. lxxxiii. quod humanae animae propriis corporibus non praexistunt. Unde patet falsum esse Origenis dogma dicentis; animam Christi ab initio ante corporales creaturas cum omnibus aliis spiritualibus creaturis creatam; & a verbo Dei assumptam, & demum circa finem saeculorum pro salute hominum carne fuisse indutam.

C A P U T XXXIV.

De errore Theodori Mopsuesteni circa unionem verbi ad hominem.

EX praemissis igitur apparet quod Christo nec divina natura defuit, ut Ebion, Cerintus, & Photinus dixerunt; nec verum corpus humanum, secundum errorem Manichaei, atque Valentini; nec etiam humana anima, sicut posuerunt Arius, & Apollinaris. His igitur tribus substantiis in Christo convenientibus, scilicet Divinitate; anima humana, & vero humano corpore, circa horum unionem quid sentiendum sit secundum Scripturarum documenta, inquirendum restat.

Theodorus igitur Mopsuestenus, & Nestorius ejus sectator talem (1) sententiam de praedicta unionem protulerunt. Dixerunt enim, quod anima humana, & corpus humanum naturali unionem convenerunt in Christo ad constitutionem unius hominis, ejusdem speciei & naturae cum aliis hominibus; & quod in hoc homine Deus habitavit sicut in templo suo, scilicet per gratiam, sicut & in aliis hominibus Sanctis: unde dicitur Joannis 11. 19. quod ipse Judaeis dixit: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: & postea Evangelista quasi exponens, subdit: Ille autem dicebat de templo corporis sui: & Apostolus Co-

los